

Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnino singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium illaque gratiam conferre et ex his baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnem administrationem recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, unicum animam et divinitatem Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius

substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos, unicum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse atque eis debitum honorem ac venerationem impartendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco. Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adjuvante retinere et confiteri atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro, sic

me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apost. se noverit incursum.

Datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis Dominicae 13. Novbr. 1564.

(Bull. r. t. II. p. 136. Ed. Luxembg. 1727.)

o) Emittenda a Provisis de beneficiis ecclesiasticis curatis ac dignitatibus, ecclesiis, monasteriis et aliis locis Ordinum Regularium et Militiarum.

Pius PP. IV.

Injunctim Nobis Apostolicae servitutis officium requirit, ut ea, quae Dominus omnipotens ad providam Ecclesiae suae directionem sanctis Patribus in nomine suo congregatis divinitus inspirare dignatus est, ad ejusdem laudem et gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini dispositionem omnes, quos deinceps Cathedralibus et superioribus Ecclesiis praefici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus, provideri contingeret, publicam Orthodoxae Fidei professionem facere, seque in Rom. Ecclesiae obedientia permansuros spondere et juvare teneantur,

Nos volentes etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus et aliis quibuscumque locis

regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine vel titulo providebitur, idem servari et ad hoc ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius formae innotescat, nostrae sollicitudinis partes in hoc alicui minime considerari, formam ipsam praesentibus adnotatam, publicari et ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilii et alios praedictos spectat, recipi et observari ac sub poenis per Concilium ipsum in contravenientes latis, juxta hanc et non aliam formam professionem praedictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore praesentium districte praecipiendo mandamus hujusmodi sub tenore: Ego N. etc.

Reliqua vd. sub: *Professio fidei* (emittenda a quibuscunque promotis etc.).

Datum Romae die 13. Nov. 1564.

(Bull. r. t. II. p. 138. Ed. Luxembg. 1727.)

p) Num per Procuratorem emittenda?

Vd.: *Professio fidei Canon. Cath. et Colleg.* (oblig., decr. *Cathacen.* diei 26. Jan. 1726 et decr. *Seguntina*).

PROFESSIO

a) Monialium.

Vd.: *Bened. Monial.* (missa).

b) Regularium.

(Duplex est.)

Vd.: *Vota Regul.*

De ordine servando in causis super nullitate Professionis Regular., vd. Constitutio Bened. XIV. diei 4. Martii 1748 in Bull. r. t. XVII. p. 220.

tionem referuntur: *Post Cerei benedictionem*, inquit *Meratus ad Gavantum* part. 4. tit. 10. n. 29., *dicuntur lectiones, quae olim ad Catechumenorum instructionem recitabantur... Lectiones istae in Missali Romano duodecim numerantur, quae, postquam noctu non baptizatur amplius, et Baptismo s. Ordinum collatio substituta est, cum Ordinationis diebus, duodecim habebantur lectiones, Sabbato s. assignatae sunt. quae, ut dixi, juxta primam institutionem ad instructionem Catechumenorum et ad Baptismum referuntur.* Tandem si quid adhuc Dubii superest, istud solvit S. R. C., quae rogata ab Episcopo Bergomen.: *Utrum in Sabb. s. pro collatione s. Ordinum Episc. in suo domestico Oratorio teneatur Missam cum Prophetiis ut in Missali celebrare?* sub die 21. Martii 1744 respondit: *Affirmative, id est pro collatione s. Ordinum in Sabb. s. Missa incipienda est a Prophetiis.* Quum igitur Prophetiae in Sabb. s. de rigore ad Missam non pertineant, ad Ordinationem tamen relationem habeant et haberi debeant tamquam actus praeparatorii ad eandem, licet etiam ad instructionem Catechumenorum juxta vetus Ecclesiae institutum et disciplinam referantur; ideo omittendae nunquam sunt ab Episcopo privatim et seunctim ab aliis s. actionibus, quae praemitti ea die debent, Ordinationem peragente.

Non ita dicendum de Sacerdotibus, si qui sunt privilegio dilati offerendi ea die Sacrificium. Nam, ut paulo ante dictum est, Prophetiae ad Missam non pertinent, bene vero ad *Baptismum et Ordinationem.* Leguntur quidem in *Missam conventuali*, ubi nec benedicuntur fons nec sequitur Ordinatione: verum ita fit cum ad recolenda sublimia illius diei mysteria tum ad veterum Ecclesiae morum servandam

memoriam. Cessat ratio, quae Prophetiarum lectionem exigit, si Presbyter ex indultu privatim celebret. Etenim tam Sabbato s. quam altero ante festum Pentecosten Prophetiae non leguntur in Missa, quae fit in Sabbatis quatuor temporum; ideo ut pars integralis Missae habendae non sunt, secus in Pentecosten, privilegio, ut earumdem lectio praemittitur Missae conventuali propter Baptismum ad virtualiter servandam veterem Ecclesiae disciplinam, ita etiam privatis Sacrificiis adjungendae forent. Quod autem Prophetiae a Missa seunctae omnino sint, ex eo etiam colligimus, quia saeculo Eccles. IX. paschali praeconio praemittebantur. Ita Cl. Martene de antiquis Ecclesiae Ritibus tom. 3. colum. 415. in fine et seq. *Cerei pasch. benedictionem sequuntur lectiones, quae tam antiquitus praecessisse videntur. Id sane clare innuit Ordo Rom. ad usum Corbeiensis Monasterii ante annos 800 accommodatus* (verba Ordinis Rom. sunt, quae sequuntur), *et interrogavimus nihilominus Dominum Apostolicum Adrianum* (hujus nominis II. vel III.) *secundum vestra mandata, si in paschali Sabbato debent flecti genua ad Lectiones; et ipse respondit, hoc debere omnimodis fieri; cui cum diceremus: et quomodo Sacerdotes et Ministri seu Clerus cum stolis et planetis possunt in terram prosterni? ille adjecit: non debere Sacerdotes vel Ministros seu Clerum stolis prius planetisque vestiri, nisi tunc demum, cum lumen novum introducitur, ut Cereus benedicatur.* Quamobrem concludit Cl. Auctor: *Ex his patet, Lectiones olim pronunciatas fuisse ante Cerei benedictionem, pro qua Sacerdotes et Ministri seu Clerus stolis et planetis vestiebantur.* Quis autem putabit ad Missam pertinuisse Prophetias, si nedum actiones interciperent Praeconium,

verum etiam, deposito luctus squalore, assumebantur indumenta laetitiae cum ad Cereum benedicendum tum ad sacrificium offerendum? Ex alio Ordine Romano, qui scriptus censetur aevi *Caroli Magni*, colligimus actiones hasce, ubi non erat fons sacrandus, dividi consuevisse. Nam, expleta lectione Prophetiarum, sistebat Officium, cuncti in secretarium revertebantur, ibi exspectantes ad inchoandam Missam, ut prima stella in coelo apparens ingruentis noctis signum daret: *Ubi autem Baptismum non fit... postea, ut ordo est, sicut manifestatur in Sacramentorum codice, sic cantent, et ut finierint absque ullo cantu revertantur in sacrarium, postea ingrediuntur ad vesperum, postea modico intervallo, ut fuerit prima stella in coelo visa, sonant signa et incipiunt canere litaniam ad Introitum, et statim cum magno decore, cum septem candelabris et cereis, cum incenso et thuribus procedit Sacerdos canentibus interim Clericis Litaniam. Postquam finierint, dicit Sacerdos: Gloria in excelsis Deo etc.* Quoniam vero, immutata paullatim Ecclesiae disciplina, sacr. illae actiones, quae prope mediam noctem habebant complementum, anticipari coeperunt: non defuere qui, his expletis, licitum sibi ducerent Missam privatim celebrare, neque tamen hi a Prophetiis incipiebant, verum a litaniiis. *Micrologus* scriptor illius aevi audiendus, qui *de eccles. observat. cap. 53.* saeculi XI. morem nos edocens: *Post Baptismum, inquit, Presbyteri demum possunt Missam, si necesse fuerit, privatim celebrare, qui jam renati sunt, de quibus specialiter in Missa agere debemus, nec postea a lectionibus, quas jam audivimus, sed a litaniam incipere solemus.*

Si recentiora quis cupiat, ea non desunt. *Paulus Mucantius* egregius

apostolicarum caeremoniarum Magister et S. R. C. a Secretis ordinem praescribens servandum in triduo majoris Hebdomadae in conclavi, in quo electus fuit Pontifex *Leo XI.*, de hujusmodi Missa haec habet: *Sabbato s. posset etiam aliquis Cardinalis... celebrare, et omissis caeremoniis de lumine Christi, praeconio: Exultet, et Prophetiis, inchoare Officium a litaniiis...; finitis litaniiis Celebrans, accepta planeta, Missam currentem celebrabit: apud Gallicum acta select. caeremon tom. 1. p. 347. column. 1.* Quid plura? Nonne S. R. C. declaravit, actiones divisibiles esse, benedictionem Fontis, quam Prophetiae praecedunt, et Missam, quae sequitur? Ita in *Carpen. die 14. Junii 1608...* Eadem S. R. C. censuit esse divisibiles et posse ab uno fieri benedictionem Fontis, ab alio Missam cantari, et ideo consuetudinem dictae Ecclesiae in hoc servandam esse censuit, ita ut Archipresbyter benedictionem Fontis faciat, et postea, si noluerit vel non potuerit Missam celebrare, Missa cantetur ab Archidiacono vel ab alio Canonico, prout hactenus consuetum fuit. Porro, si ad Missam pertinerent Prophetiae, haud hae separari possent et Sacrificium offerre deberet ille idem, qui fontem sacrauit. Quid clarius?

Neque objicias aliud ejusdem S. C. R. Decretum in *Lucana 12. Aprilis 1755*, quo declaratum fuit congruere, ut ignis et cerei benedictio praecedat Missam, Prophetias vero non esse omittendas. Abolenda siquidem erat prava consuetudo parochorum Lucanae dioecesis, qui in suis Ecclesiis cum cantu vel sine cantu Missam celebrabant, praetermissis benedictionibus ignis, cerei, Prophetiis alisque ritibus ipsa die praescriptis. Quamobrem Archiepiscopus, num id liceret, postulavit. Et S. R. C., cum animadver-

tisset, rem esse de Ecclesiis parochialibus, in quibus, etsi solemniter cum cantu et ministris paratis peragi nequeunt, explendae nihilominus sunt sacr. functiones majoris Hebdomadae, servata forma *parvi Rituales* editi jussu S. M. *Benedicti XIII.*, sollicita, ne omitterentur, apte distinxit id, quod congruit, ab eo quod fieri necessario debet; sed simul Archiepiscopo injunxit ut, poena indicta, Parochos cogeret etiam ad id, quod congruit. En verba Decreti: *Congruit, ut Missae in Sabbato s. celebrandae ignis et cerei benedictio praecedant; ante quam Missam Prophetiae omitti non debent, et Archiepiscopus parochos ad ignis et cerei benedictionem faciendam aliqua poena pecuniaria adigere poterit. Quid autem hujusmodi Decretum commune habet cum Missa privata, apostolici indulti vigore celebrata?*

Ex iis, quae allata sunt, plane consequitur Prophetias haberi haud posse in Sabb. s. tamquam partem integram Missae proindeque a Sacerdotibus, qui privilegio gaudent faciendi privatim Sacrum, easdem non esse legendas, sed Missam inchoandam more solito. Quod insuper maxime decet; etenim posito privilegio, haud eo uti licet, nisi postquam nuntiatum fuerit per festum campanarum sonitum, Ecclesiam, deposito luctu, per laetitiae signa festis paschalibus initium dedisse. Imo S. R. C. dum, attenta immemorabili consuetudine, indulset, ut in Ecclesia Ordinis s. Dominici Villae Matriti tres Missae lectae celebrari possent, id fieri vetuit, nisi *post absolutam Missam solemnem*, quae conditio fuit etiam alteri privilegio adjecta concessionis unius Missae privatae in sacello B. M. V. *de los remedios* ejusdem Villae Matriti. Heic autem loci quaeri posset: num huic Missae praemittendae sint litaniae?

Praesens Decretum id non jubet, imo cum velit eandem incipi *more solito sed sine introitu*, praeviam litaniarum lectionem praecipere noluisse videtur. Atque haec etiam est Cl. *Gavanti* sententia, qui in hypothesi, quod privata aliqua Missa celebrari queat, eandem a *Confessione* incipiendam scribit *Rubr. Missal. part. 4. tit. 10. n. 44. Quo casu forte sufficit incipere a Confessione, qua finita dicat Sacerdos Kyrie eleison de more, et reliqua cum Vesperis usque ad finem Missae. Nam Gemma lib. 3. cap. 118. ait, Officium hujus Missae per Kyrie eleison inchoari, nisi pro Kyrie eleison intelligat cum Micrologo litaniam. Si quis igitur litanias praemitteret, contra Decretum non faceret, sed melius fortasse, si a Confessione Missam incipiat.*

PROSTERNATIO

Ordinandorum.

Vd.: *Ordinandi* (prost.).

PROTECTOR CIVITATIS.

Vd.: *Patronus; Patronus loci* (oblig. ad Off., decr. n. 4605 nota).

Canonici Cathedr. Ferentinae possunt canere missam sol. s. Ambrosii m., Protectoris dictae civitatis die 1. Maii quolibet anno in honorem inventionis sui corporis, non omitta missa ss. ap. Philippi et Jacobi. n. 2695 die 16. Jun. 1674.

Ad petitionem, ut transferri possit octava Epiphaniae, quia in ea cadit festum s. Hilarii protectoris principalis civitatis Parmen., S. C. resp.: *Officium esse faciendum de octava; Missas vero posse cantari duas, unam de festo, alteram de octava.* n. 2311 die 24. Jan. 1665.

Ad dubium 1.: Die 13. Maii occurrit Trajecti festum s. Servatii Episc.,

qui est Protector civitatis, cum festo s. Petri Regalati; potestne dies immediate sequens pro ultimo assignari?

2. Die 10. Septbr. occurrit Thudinii festum s. Theodardi Episcopi et Martyris, qui est Protector civitatis, cum festo s. Nicolai de Tolentino, suntque ab illa die reliquae omnes impeditae usque ad 23. Septembris, quae posset assignari pro ultimo?

Et eadem S. R. C., Emo et Rmo D. Card. S. Clementis referente, ad primum et secundum respondit: „Negative.“ n. 3763 die 19. Febr. 1707.

De Protectore principali civitatis debet celebrari Officium cum octava per civitatem et dioecesim. S. R. C. 23. Maii 1639.

PROTONOTARIUS APOSTOLICUS.

1) Celebrans in Pontificalibus.

Protonotarius apostolicus, habens indultum apost. celebrandi ubique in Pontificalibus de consensu Ordinarium, potest solemniter celebrans solemnem benedictionem populo inibi praesenti dare et elargiri. n. 984 die 22. Apr. 1633.

Venetiarum.

Dum superiori anno 1853 12. Kal. Martii Sacerdos Joannes Bapt. Ghega Cubicularius honorarius SSmi D. N. Pii Papae IX. et Patriarchalis Curiae Venetiarum ab Actis, per apostolicas literas in forma Brevis tamquam Protonotarius ad instar participantium cooptatus fuit in amplissimum Protonotariorum Apostolicorum Collegium, praeclara inter Privilegia, quibus hoc nomine decoratur, illud honestissimum reputavit, quo sibi Pontificalia conceduntur insignia. Veritus vero ne circa haec plura sibi vel minus quam par est tribuat, S. R. C. supplex adivit inixeque rogavit, ut certam indubiam-

que praefinire dignaretur rationem, per quam errandi libertas auferatur. Et quoniam a s. m. Xisto Papa V. Protonotariis Apostolicis in Presbyteratus ordine constitutis conceditur extra Curiam in Missis solemnibus uti mitra et quibusvis aliis pontificalibus insigniis, inter usum et exercitium ipse discrimen intercedere existimavit ac proinde duo sequentia dubia elucidanda proposuit, nimirum:

1. An, praevio semper Ordinarii assensu, Protonotariis Apostolicis nuncupatis ad instar participantium ac participantium privilegiis fruentibus, Pontificalium exercitium vel tantummodo usus sit concessus?

2. Et quatenus affirmative tantum quoad usum, quatenam Caeremoniae ex his, quae praescriptae sunt in libro Caeremoniali Episcoporum (qui respicit etiam Praelatos Episcopo inferiores), adhibendae sint in Missa solemniter celebrata ab ipsis Protonotariis extra Curiam cum insigniis pontificalibus, et quatenam sint omittendae?

Quas quidem preces cum superioribus dubiis quum Secretarius subscriptus retulerit in Ordinario Coetu S. R. C. ad Vaticanum habitis eodem superiori anno 15. Kal. Octobris, Emi et Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: „Ponatur in folio, exquisito voto Magistri Caeremoniarum.“

In novis itaque Ordinariis Comitibus S. R. ad Vaticanum pariter hodierna die coadunatis, quum Emus et Rmus D. Card. Joseph Bofondi Relator designatus proposuerit votum alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scripto panditum praeloque cussum, S. eadem C., attentis expositis singulisque rationibus concludenter adnotatis, recribendum censuit: „Juxta votum Magistri Caeremoniarum, scilicet“

Benedictus PP. XIV.

Nemo est, qui ignoret, duobus modis Religiosam Professionem fieri, vel, ut melius dicamus, duplicem esse Professionem Religiosam, unam expressam, alteram vero tacitam. *Expressa sit*, quum debitis servatis solemnitatibus tria vota castitatis, paupertatis et obedientiae conceptis verbis emittuntur, quae in Constitutionibus Ordinis, in quo quis se velle vivere profitetur, praescripta sunt. *Tacita* autem in eo posita est, cum quis ea exercet et operatur, ex quibus arguitur, ad vivendum in aliqua Religione se obligare voluisse, etsi solemniter et expresse eam professus non fuerit.

Tacita Professio a Sacro Tridentino Concilio juxta communiorem sententiam sublata non est, ut late testantur: *Navarus* Consil. 35. de Regular. n. 5., *Azorius* Instit. part. 1. lib. 12. cap. 4. quaest. 6., *Sanchez* de Matrim. lib. 7. disp. 37. n. 2., *Fagnan.* in cap.: Perlatum de iis, quae vi etc. n. 46. Sed cum in eodem Concilio decretum fuerit: *nullas ac irritas esse Professiones, quae in quacumque Religione fiunt ante annum decimum sextum aetatis Profitentis et antequam integer annus probationis expletus fuerit*, hinc recte deducitur, etiamsi a Concilio tacita Professio sublata non sit, eam tamen locum non habere, si actus, ex quibus illa inducitur, peracti non fuerint post annum decimum sextum aetatis Profitentis, et postquam annus probationis completus est, ita ut a Concilio Tridentino magna ex parte temperata sit dispositio. Cap.: Is, qui etc. de Regularibus, in sexto, et Clementinae 2., eodem titulo, de Regularibus.

Datum ex Arce Castri Gandulphi die 19. Junii 1750.

(Bull. Bened. XIV. t. III. p. 288.)

PROMULGATIO.

1) Matrimoniorum.

a) Obligatio.

Baren.

Ad dubium: An denunciationes et publicationes, quae fiunt inter missarum solemnitas pro contrahendis matrimoniis, promovendis ad s. Ordines, excommunicationibus et indulgentiis pertineant privative ad Archipresbyterum seu potius constet de contraria consuetudine favore Canonicorum Primiceriorum, sitque servanda in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative ad primam partem salvo jure Archiepiscopi; negative ad secundam.

Die 28. Aug. 1756; 3. Dec. 1757.

b) Tempus.

Ad dubium: An denunciat. Matrimoniorum et Ordinandorum aliaque similes functiones parochiales faciendae sint in celebratione missae paroch. seu potius liceat illas facere in celebratione missae conv. contradicente Capitulo?

S. C. C. resp.: *Arbitrio Parochi.*

Die 8. Julii 1724. (Conc. Tr. C. 7. Sess. 24. De Ref.)

c) Ubi facienda?

Senogallien.

(Conc. Trid. C. 1. Sess. 24. De ref. Matrim.)

Felix Dolci, ortus in oppido s. Elpidii Firmanae dioeceseos, puer Maceratam venit, ubi domicilium habuit usque ad mensem Junium anni 1729. Senogalliam vero cum deinde se contulisset, sponsalia inivit cum puella Victoria de Luca. Ut Matrimonii contrahendi facultatem a Curia Episcopali obtineret, protulit Felix testificationem Episcopalis Curiae Maceratensis de

libero ejus statu. At Vicarius Capitularis Senogalliensis oportere putat, quod praeterea doceatur de factis publicis denunciationibus in ea parochia civitatis Maceratensis, in qua per annos circiter viginti Felix domicilium habuerat, antequam Senogalliam commigraret, praeterea quod quamvis alias nuptias non iniverit juxta asseverationem testium, quos Curia Episcopalis Maceratensis interrogavit ad docendum de statu libero, nihilominus potuerit ille fortasse in ea civitate de Matrimonio contrahendo fidem alteri feminae dedisse; id quod minime excluditur per testimonium illud, sed in lucem, si ita esset, prodiret, ubi in parochia, cui olim suberat Felix, inter Missarum solemnitas ter fuerit palam denunciatum ejus consilium de Matrimonio contrahendo cum Victoria de Luca Senogalliensis.

Tridentina Synodus cap. 1. sess. de ref. Matrim. sic statuitur: „Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parochis tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnitas publice denunciatur, inter quos Matrimonium sit contrahendum.“

His autem verbis videri potest dumtaxat praeceptum esse, quod proclamationes in iis fiant parochialibus Ecclesiis, quibus subsint sponsi sub ipsum tempus ineundi Matrimonium, non vero in aliis parochiis, in quibus antea sedem habuerint. Verum est, quis ex sponsis recenter venerit ad eam parochiam, in qua Matrimonium est contrahendus, plures Doctores existimant proclamationes fieri etiam oportere in alia Ecclesia, in cujus parochia diuturnius domicilium antea habuerat, nimirum quia ex praescripto S. Concilii, itemque etiam ante Concilium Tridentinum ex lege lata ab Innocentio III. in cap.: *Inhibitio de cland. De spons.* Ideo publicae denuncia-

tiones sunt praemittendae, ut impedimenta, si quae sint, detegantur; id autem ibi melius resciri potest, ubi longior fuit commoratio. Sic praeter antiquiores docent: *Sanchez* de Matrim. lib. 3. disp. 6. n. 6. et seq., *Guttier* eodem tract. cap. 56. n. 6., *Barbos.* de Episc. part. 2. alleg. 32. n. 11., *Engel* ad lib. 4. tit. 3. n. 5. de cland.: De spons. In contraria tamen sententia videntur esse: *Pont.* de Matrim. lib. 3. cap. 38. n. 5., *Clericat.* de Sacram. Matrim. decis. 33. n. 6.

Sed alii sic dissentientes opiniones censent conciliandas, ut quando brevis fuerit commoratio in nova parochia, adeo ut verisimilis ibi non sit impedimentorum notitia, tunc denunciationes fieri debeant etiam in priori parochia, secus vero si per aliquot annos habitaverint in parochia, in qua Matrimonium sit ineundum, ut videre est apud *Anaclet.* ad lib. 4. tit. 3. annot. 15. ad 22.

Tres hac de re extant hujus Sacrae Congregationis resolutiones. In antiquo lib. 2. decret. ante annum 1580 confecto ad pag. 83. ita habetur: „Theodorus Bertoncillus de Terra Guastallae et Meridiano Paganella Romana invicem Matrimonium contrahere cupientes, in Ecclesia ter a proprio parochis Matrimonium hujusmodi denunciari curarunt. Factis autem denunciationibus, cum ad Matrimonii celebrationem in facie Ecclesiae procedere vellent, vices gerens Archipresbyteri loci eos prohibuit, quia non erat enunciatum id Romae in parochia, ubi nata fuerat Meridiana. Verum, cum agatur de interpretatione Concilii Trid., et re vera non sit vagans illa mulier, quae per octo annos vel circiter in una et eadem Terra habitavit, propterea humiliter supplicatur, quatenus eidem Vicegerenti committere et mandare dignemini, ut, si per septem vel

octo annos in dicto loco Guastalle praedicta Meridiana habitavit, Matrimonium hujusmodi juxta Ritum S. R. E. celebrari permittat.“

Rescriptum vero fuit: „Nihil obstare quominus Oratores possint Matrimonium contrahere.“

In *Senogallien* die 29. Jan. 1684 haec species facti exposita fuit: „Bartholomaeus Joannis Titta, origine Senogalliensis, Matrimonium contrahere desiderans extra locum originis supplicat declarari: an ultra fides status liberi necessario faciendae sint denunciationes matrimoniales etiam in loco originis, prout praetendit parochus, coram quo Matrimonium contrahi debet?

Responsum vero fuit: Denunciations etiam in loco originis esse necessarias, ut in lib. 34. decr. pag. 28.

Denique in *Vercellen*. 6. Maii 1619 agebatur de muliere, quae extra locum originis decem totis annis permanserat in alio loco, ubi Matrimonium contraxit et ubi solum factae fuerant proclamationes. Proposito autem dubio: An necessariae essent denunciations in loco originis? responsum fuit: Negative, ut in lib. 69. decr. pag. 222.

Declarare itaque dignentur EE. VV.: *An antequam Felici Dolci permittatur celebrare Matrimonium, faciendae sint denunciations etiam in parochia Maceratensi in casu?*

S. C. C. resp.: Negative.
Die 3. Apr. 1734.

2) Ordinandorum.

Vd.: *Promulgatio Matrimoniorum* (tempus, obligatio).

PROPAGANDA.

Erectio et privileg.

Vd.: *Constit. Greg. PP. XV. die 22. Junii 1621.* (Bull. r. t. III. p. 472.)

PROPHETIAE.

1) Abreviatio.

Ad dubium: An, qui cantat prophetias, possit vi consuetudinis eas relinquere, vix a Celebrante earum lectio absoluta erit?

S. C. resp.: Negative.
Die 16. Apr. 1861.

2) Locus legendi.

Vd.: *Legile*.

3) Non omittuntur.

Vd.: *Prophetiae* (in missa priv. etc.).

a) Ante missam sol. in Sabb. s.

Ante missam in Sabb. s. Prophetiae omitti non debent. n. 4252 ad 3 die 12. Apr. 1755.

b) In missa priv., paroch., conv. et pont. pro Ordinibus confer. in Sabb. s. celebranda.

Vd.: *Sabb. s. (missa); Ordinatio priv. in Sabb. s.*

In Sabb. s. pro collatione s. Ordinum Episcopus in suo domestico Oratorio tenetur missam cum Prophetiis ut in missali celebrare. n. 4153 ad 1 die 21. Martii 1744.

Ad dubium: An in Sabb. s. missa ab Episcopo privatim celebranda in domestico sacello ratione Ordinationis, vel aliis Sacerdotibus (si qui sunt), qui hujusmodi privilegio gaudeant, inchoanda sit a Kyrie vel a Prophetiis?

Et S. eadem C. re mature diligenterque discussa... respondendum censuit:

„Quoad Episcopos ratione Ordinationis servetur praescriptum Pontificalis et Decretum S. C. diei 21. Martii 1744 in Bergomensi, et missa incipiatur de Prophetiis. Quoad alios, si qui privilegio gaudent, more solito, sed sine introitu, post campanarum sonitum.“

Atque ita respondit et servari mandavit die 28. Julii 1821.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo D. N. Pio VII. P. M. per infra-scriptum S. R. C. Secretarium relatione S. S. S. C. responsum approbavit confirmavitque, atque, ut ab omnibus servetur, in acta ejusdem C. referri typisque evulgari praecidit. n. 4583 ad 2 die 31. Junii 1821.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Duas habet partes hoc dubium. Prima ad Episcopum attinet, qui Sabbato s. in domestico sacello Sacrum facit ratione Ordinationis; altera Presbyteros respicit, si qui privilegio donantur offerendi ea die Sacrificium. Breviter de utroque.

Ordinationes generales, pro quibus certa praefinita sunt tempora, publice in Cathedrali peragenda sunt; ita in Pontificali Rom. tit. de Ordinibus conferendis: *Ordinationes s. Ordinum, statutis a jure temporibus, ac in Cath. Ecclesia, vocatis praesentibusque ad id Ecclesiae Canonice publice celebrentur*. Ideo S. R. C. rogata ab Episc. Mazarien.: *An Episcop. volens die Sabb. s. Ordines conferre, licite praestare hoc valeat, Sacrum privatim peragendo in proprii palatii sacello?* Sub die 18. Martii 1702 respondit: *Negative*.

Nec secus respondendum erat dubio generaliter nimis expresso. Nulla siquidem suberat ratio (si excipias placitum Episcopi expressum per verbum *volens*), qua S. C. licere censeret. Namsi generali quaesito respondisset: *Affirmative*, hujusmodi responso quisque pro lubitu potuisset abuti, a Pontificali praescripto declinare et Ordinationes etiam generales privatim peragendo in domestico sacello propriae commoditati inservire. Verumtamen non raro accidit, ut, vel ob

modicum ordinandorum numerum vel ob aliam rationabilem causam licite queat sacra haec actio ab Episcopo in privato sacello perfici. Id saepe accidit in Urbe, ubi, licet stasis temporibus in Lateran. Patriarch. Basilica generalis Ordinatio solemniter fiat ab Emo Dom. Card. Vicario vel ab Rmo Vicesgerente, venia nihilominus datur uni alterive Episcopo aliquibus cum sacros tum minores Ordines privatim conferendi. Si id accidat in *Sabbatis quatuor temporum*, occurrit dubitandi ratio, quia vel Ordinatio sit publica vel privata, ordo tamen eam peragendi ne hilum quidem differt, si unam excipias solemnitate. Verum non ita est, si Episcopus in *Sabb. s.* missam in suo sacello ad Ordines conferendos privatim celebret. Cum enim nec Cerei paschalis benedictio fiat, Ordinatio vero juxta diversos gradus distribuatur, non inter unam alteramque lectionem, quippe harum recitatio, secus ac in aliis Sabbatis, missam praecedit, quaeri potest: ubi inchoanda sit missa? Controversiam dirimit positiva pontificalis Rubrica: *Si vero Sabbato S. Ordinationes fiant, Officium incipitur a prima Prophetia, et continuatur, prout in Ordinario usque ad Litanias inclusive etc.*

Neque dicas, rem ibi esse de Ordinatione generali et solemniter, non autem de privata. Primum enim, ubi lex non distinguit, necnon distinguere debemus; neque ulla occurrit diversa ratio, quae discrimen ponat inter Ordinationem solemnem et privatam, imo ex Ecclesiae instituto lectiones ob mysticas significationes ad Ordinationem, quae fit stasis temporibus, proprie pertinent. Quamquam vero duodecim prophet., quae leguntur Sabb. s., praecedant benedictionem Fontis et collationem Baptismi, quapropter instructioni Catechumenorum inserviunt, nihilominus aequae ad successivam Ordina-